

Disputatio Posterior Contra Definitionem De Deo Wolffianam, Quæ hæc est: Gott ist das Wesen, welches alle Welten auf einmahl in der allergrösten Deutlichkeit vorstellet. Metaph. §.1069


Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1725]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1860108652>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 3. Febr. 1725
Dragheim, ~~M.~~Joh. Benj.



J. N. J.

DISPUTATIO POSTERIOR
CONTRA

DEFINITIONEM DE DEO
WOLFFIANAM

Quæ hæc est :

☉☉☉ ist das Wesen, welches alle
Welten auf einmahl in der allergrösten
Deutlichkeit vorstellet. *Metaph. S. 1069.*

Quam

Permittente Amplissima Facult. Philosoph.

PRÆSIDE

M. JOH. BENJAM.
DRAGHEIM,

GEDANENSI.

Publico Examine exponit

RESPONDENS

JOH. JAC. CLEOPHAS, *Gedan.*

Phil. & Theol. Studiosus.

In

ILLUSTRI ACADEMIA VARNO-BALTICA.

Anno 1725. Die 3. Februarii.



ROSTOCHII,

Typis Io. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

J. N. J.
DISPUTATIO POSTERIOR
CONTRA

DEFINITIONEM DE DEO
WOLFFIANAM

Quae haec est:

Deus est das Wesen, welches alle
Dinge auf einmahl in der allergrösten
Gemeinschaft vorstellt. Metaph. 2. cap.

Quam

Præsentavit Amplissimæ Facult. Philosoph.

PRÆSIDE

M. JOH. BENJAM.
DRACHEM.

GEDANKEN

Publico Examine expone

RESOLUTIONES

JOH. JAC. CLEOPHAS, Gedank.

Phil. & Theol. studiosus

in

ILLUSTRI ACADEMIA VARNÆ-BALTICÆ

Anno 1787. Die 3. Februarii.

ROSTOCK

ROSTOCK

Typis Jo. Jac. Voßner, SENEN. FRING. & ACAD. TYP.



J. N. J.

S. L.



Agnum proventum Philosopho-
rum seculum hoc attulit. Nullus fere
tot retroactis temporibus mensis erat,
quo non emitteret libellum aliquis.
Ingens hæc est ævi nostri felicitas, quod
deterfa, cui ex parte Philosophia in-
voluta fuit, caligine, in larga & svavis-
sima veritatis luce ei versari obtingat.
Sed ut nulla nobis virtus inharet,

quæ non aliquo vitiorum confinio lædatur ; ita non pauca
doctorum virorum monumenta videntur obscuriorem pristina
faciem hodie induisse. His Wolffii Metaphysicam & Ethicam
annumeramus. Non tantum erroribus hæc scripta scatent,
sed e tumulis & ruderibus obsoleta & insana veterum do-
gmata ad lucem vitamque revocant. Occasionalistarum,
Pythagoricorum, Platoniorum, Kabalistarum, Stoicorum
febricitantium somnia nobis obtrudere, & sub specie novis-
simæ sententiæ lectoribus verba dare, omnem movent lapi-
dem. Pituita vero non laborantibus fraus hæc facile subo-
let. Nobis placuit, Definitionem DEI Metaphysicam exa-
minare, quam prævius labor conceptum DEI primum non
continere, imo [de Spiritu in genere falsam, dixit. Cum
vero dato uno falso plura identidem sequantur, præsens De-

A ;

fnitie

fnitio longam errorum seriem trahit, ex se ipsa & systemate repullulantem. Ne vero instar aranæ e nobis fugere videamur, exigente materia ipsissima Autoris verba in scenam producturi sumus, altis insuper dentibus excipientes, qui tanto molimine pro Autoris sententia decertant, quanto vix olim defunctus est Jason in domandis aripedibus tauris, dum ad repetendum vellus aureum colchidem peteret. Nec juvent ipsos contraria passim loca, nullum plane colorem dogmatibus falsissimis inducentia, quippe proprio ferro plus centius se ipsum jugulavit Wolffius. Non ex una alterave materia Autor, sed toto systemate & rerum connexionione judicandus est. Spinoza sapius egregie de DEO loquitur, sed fronte politus

Astutam vapido servat sub pectore vulpem.

Et licet Dominum Wolffium non ubique Spinozæ vestigia prementem dicamus, nostra tamen obtinet ratio, quod intus & in cute penitus introspicendus sit. Faxit DEUS ne labor noster sit irritus!

§. II. Non fani coloris dogma est, quo Cl. Wolffius essentiam divinam in facultate s. virtute mundos representandi consistere docet. Quod ipsum ut eo magis evincamus abs Autore factum, contra Defensores ejus sequentia in medium afferimus verba, & ea non agnoscentes, Anticyram, navigare jubemus. Sic Autor habet §. 157. in Metaph. Alles, was wir von Gott erwiesen haben, kommet daraus, daß er alles, was möglich ist, auf einmahl deutlich vorstellen kan. Und demnach, (notentur hæc verba) bestehet das Wesen Gottes in der Krafft alles, was möglich ist, das ist, NB. alle Welten deutlich und auf einmahl vorzustellen. In quo vel brevis semuncia recti hæret, quid monstri autor alat, sat abunde cognoscet. Ad priorem quidem nostram Disputationem aliqui frontem contrahere, & dicere: Multis nos parasangis a reali Autoris definitione aberrare, atque ita genuinis præceptis, sacrae scripturae affinis maculam inurere. Sed id nobis objecisse est nihil agere. Næ faciunthi homines intelligendo, ut nihil intelligant. Quod maxime nos rapit, est, quod plerique eorum scripta

scripta Wolffiana ne per transennam quidem perlegerint.
Quibus verba Monitoris ad Persium acclamamus :

non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas : examenve improbum in illa
Castiges trutina. Persius sat. i.

Pro nobis æqui rerum censores, quibus totum systema Wolffianum innotuit, & ipsa loquantur veritas.

§. III. En Tibi causas, cur hanc, & non alteram, quæ asseclarum labris semper innatat, Definitionem Realem judicemus, & omnino judicare debeamus. In antecedentis Disputationis Cap. III. §. VII. jam adamante notavimus verba hæc, & iterum iterumque notamus, utpote multum nobis lucis affundentia : Ich weiß wohl daß einige seyn werden, denen dieses von GOTT zu wenig gesagt zu seyn scheint (np. quod sit das Wesen so alle Welten auf einmahl vorstelllet) Allein wenn sie das vorbergehende mit Bedacht durchgehen wollen, und es zubegreifen fähig sind, werden sie zur Gnüge daraus erschen, daß nicht nur allein alles was von GOTT gerühmet wird, sondern noch viel mehr NB. bloß aus dieser vorstellenden Krafft der Welten in größserer Klarheit und Deutlichkeit heraus gebracht wird, NB. als viel leicht zur Zeit noch nie geschehen.

Argumentamur :

Quicumque ex definitione sua attributa DEI omnia quam clarissime deduci posse asserit, ille Definitionem suam realem judicat.

Dominus Wolffius ex definitione hac : GOTT ist das Wesen ꝛc. attributa DEI omnia quam clarissime deduci posse asserit

E. Definitionem hanc realem judicat.

Majorem nemo negabit, nisi contentionis ferram trahere amet. Ad Minorem quod attinet, ne hiscere quidem asseclæ ejus audeant, sole clarioribus verbis Autoris corroboratam.

§. IV. Nunc velim emunctæ naris rerum censor judicet, qua constantia, qua audacia, Cl. Wolffius rem suam defenderit, quando in den Anmerkungen über Buddei Bedencken. pag. 38. lit. f. sic satur : Ich komme nur zufälliger Weise auf diesen Begriff, und brauche ihn nicht einmahl etwas daraus zuerweisen.

set. Dic, quæso, quando hæc cum prioribus convenient ?
Certe

Definet esse prius flammæ contrarius humor,
Ipsaque mors vitæ fiet amica prius.

O levitatem desultoriam tanto Philosopho indignam ! Sed propius ad rem ! De eadem hac definitione contrarium habet in der nöhtigen Zugabe zu den Anmerkungen des Hrn. Bubbens. p. 104. Ich bin aber noch der Meynung, daß die Göttliche Eigenschaft sich aus diesem conceptu (np. quod Deus sit substantia Representativa) NB. demonstriren lassen, ob Ich wahr aus andern Ursachen die vorige Definitionem / (quænam illa sit, vide § 13, 15, 16, infra) als das erste Principium angenommen habe. Quot verba, tot contradictiones ! Hic sui ipsius Wolffius oblitus est. Altera, ad quam provocat, definitio æque falsa est, sed deinde patebit. Abstinemus a pluribus locis, e quibus demonstrari potest, Cl. Autorem propria vineta cædere, ne lectoribus vomitum creemus. Cedo flammæum quo pudorem permulceant asseclæ.

§. V. Glaciem ipsam scindimus & thesin Dei essentiam in facultate mundos representandi consistere, pessundamus. Bone Deus ! miseri mortales quid essentia Dei sit definire, ut in præcedentis Disputationis Cap. 2. didicimus, in hac mortalitate nequimus, & Cl. Autor, hunc quem de Deo habemus conceptum magis magisque infringit. Nam etsi bonum, si iustum, si quidvis aliud dixeris, & τὴν φύσιν ἀλλὰ τὰ περὶ τὴν φύσιν h. e. non naturam ipsam Dei, sed ea, quæ sunt in ipsius natura s. essentia, dicis. Conf, Hebenst. Theol. Natural. Quæcunque enim prædicata Deo propria attribuimus, ea vel negativa audiunt, sicque positivam & propriam Dei quidditatem non exprimunt, vel affirmativa quidem, sed aliquid tantum, quod in essentia Dei est, dicentia, non tamen essentiam & naturam Dei formaliter attingentia. Sæpe etiam ipsius divinæ essentia effectiorem s. operationem externam liberamque important.

§. VI. Sed repetamus altius loquendi modum ; Das Wesen Gottes bestehet in der Krafft alles was möglich ist, das ist, alle Welten deutlich und auf einmahl vorzustellen. His verbis geminus

minus error cōnrimetur. Terminatur 1.) essentia DEi incomprehensibilis in virtute repræsentiandi, quasi hæc facultas DEi essentiam absolvat, ceteraque inde attributa elici queant. Sed nullum profecto locum hic loquendi modus invenit. Illa enim facultas qua DEus sibi aliquid repræsentiatur, invenitur quidem in essentia DEi, (sed omni remota imperfectione) non tamen iuxta nostrum concipiendi modum dixeris: Das Wesen Gottes bestehet in der Krafft alle Welten deutlich vorzustellen. Ratio est in propatulo. Male enim essentia DEi infinita in uno alterove tantum attributo consistere dicitur. Talia sint prædicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis. Veluti non in sola sapientia, Voluntate &c. essentia DEi, sed in omnibus attributis simul consistit, ita nec in sola repræsentione. Potest DEus omnia quæ sibi repræsentiatur in actum deducere, sub quo omnipotentia iam implicatur, & sic sola repræsentione DEi essentiam non constituit. Animæ essentia in repræsentione minus perfecta iuxta Cl. Autorem consistit, itane tantum gradu repræsentionis magis adæquato DEus ab anima differt. Insolens hæc Philosophia est.

§. VII. Accedit hæc ratione essentiam divinam non aliquo modo a nobis apprehendi, sed comprehendendi (velut Philosophi discrimen inter hæc vocabula faciunt) quod inde clarum est, quia ob infirmitatem intellectus nostri attributa ab essentia divina divisim concipimus, quod uno actu tantam DEi essentiam, a qua attributa formaliter, non realiter differunt, concipere non valemus. Si vero in repræsentione tantum DEi natura consistit, illam intellectus acumine fere exhaustiemus. II.) Verba: Was möglich ist, Autor ita enoddat: Das ist alle Welten. Omniane quæ DEus sibi repræsentiatur rationem formalem mundorum involvant? Credo DEum multa possibilia sibi repræsentiatur, cum universis nullam connexionem habentia: Si DEus hoc die mille angelos crearet, eosque sibi repræsentiatur, an illi ad universum pertinerent? Possibilia, quæ DEus novit, non tantum universa, sed infinita alia sunt. Hoc pacto repræsentione DEi longe maior & amplior enervatur.

§. VIII.

§. VIII. Couenit etiam hæc definitio cum Cartesiano, qui essentiam Spiritus & DEi in mera cogitatione s. ideificatione consistere docuerunt. Vid. Christoph. Wittichius in Theol. Pacif. §. 119., 121. & seqq. in Theol. Pacif. Defensæ p. 482. Petrus Allinga in Erotem. illust. decad. 8. erotem 10. p. 263. Enimvero quam ficulnea sit ista hypothesis, iam pridem inter viros eruditos ostenderunt. B. Osiander in Colleg. Confid. in dogm. Cartes. c. 4. Thef. 2. p. 63. seq. Melch Leydecker in Face veritatis loc. 3. Controv. 7. p. 125. Van Maastricht in Gangræna & alii. Supra spheram sane intellectus nostri positum est, quomodo nudus aliquis actus, qualis utique est cogitatio, primum & quidditativum conceptum substantiæ alicujus absolvat, idque eomagis, quod Philosophorum plerique, quibus de meliori luto Titan præcordia finxit, confiteantur, omnem substantiam in quantum illa secundum se & constitutiva essentialia spectatur, aliquid absoluti nostro Intellectui inferre, cum conceptus sit rei per se existentis; & ab omni alia separata, nec opus habeat, ut cum relatione ad aliud concipiatur. Quod si vero cogitatio essentiam substantiarum intellectualium ut volunt Cartesiani, constituit, habemus utique aliquid relativi, absoluti essentiam formaliter constituens, atque insuper non tantum respectum inferens ad rem aliam à se diversam, à qua tanquam à Principio emanare intelligitur, sed & ad Objectum, quo sublato omnem etiam cogitationem interire necesse est.

§. IX. Ut taceam alias difficultates, quæ si ad Inferiora Spiritus descendamus, plenis hic calathis offeruntur. Quid enim? Num Dei essentia nihil aliud erit formaliter quam cogitatio? Absurda inde fluentia ut referamus, non opus est, ut pote notissima. Et cur Deus in sacris Literis se patefaciens aliorum Attributorum sæpe meminit, nunquam cogitationis, quam, si quidem tota Dei natura in illa consisteret, peplo silentii involvere haud convenisset. Ut ut nunc hic conceptus solum tantum intellectum (eumque incomplete) non item Voluntatem Dei exprimat, atque sic non totam essentiam Dei; nihilominus clarissimus Autor, suam cum Cartesianorum facit convenire Definitionem. Cum alias recepta esset Spiritus definitio, quod

quod sit substantia immaterialis, arbitratus est Cartesius, sic dici quidem quid Spiritus non sit, non vero doceri quid sit. Sed haud feliciter rem expedit, & Charybdim evitans in Scyllam incidit, ac cum eo clarissimus Wolffius. Si excipias: subesse tamen aliquid discriminis inter Definitionem Cartesianorum & clarissimi Wolffii. Res. etiam si largiamur aliquid hic differentiae, cum in eo ipsi Cartesiani variant, nunc Deum cogitationem, nunc substantiam cogitantem vocantes, nil tamen id Autorem juvabit, quippe substantia cogitans totam Dei essentiam non constituat, nec cætera Attributa gignat. Ad hæc sic ipse Spinoza loquitur in Ethica sua Part. 2, Proposit. Ima. *cogitatio Attributum Dei est, sive Deus est res cogitans.*

§. X. Sed detur venia nobis, vocabulo Repræsentationis toties repetito Lectorem fere enecantibus. Diximus §. 6. DEO id convenire quidem, remota tamen omni imperfectio-
ne. Si nomen hoc in nativa sua significatione sumpseris, à DEO alienum puta. Quid enim sibi repræsentatio vult? Repræsentatio est nihil aliud quam Idea. Rogitas quid Idea sit? Cape rem paucis. Idea vocabulum quam maxime homonymum pomum Eridos inter Philosophos fuisse, Veterum monumenta loquuntur. Non fert animus in latissimum earum campum excurrere, & decerptos hinc inde flosculos offerre. Cupidum Lectorem potius ad Anonymi Historiam Philosoph. Doctrinæ de Ideis, quæ August. Vindelic. 1723. lucem vidit, Libellum sua laude non defraudandum, remittimus. Conf. etiam M. Caroli Joach. Sibeths erudita Disp. de Ideis Platonicis Rost. 1720. defensa. Nec situm contrahat M. Joh. Henr. Kreuschneri Disp. de Origine Idearum Regiomont. 1717. edita. Nos utimur descriptione Idearum, à Viro Reverendo & Excellentissimo Philosopho Dn. M. Christ. Bernhard Büchero, hodie Verbi D. Præcone apud Gedanenses vigilantissimo, in eruditissima contra Lockium Disp. de Notitiis innatis Wittebergæ 1717. emissâ: *Idea sunt actualis conceptus, qui vel intellectu à sensibus imprimuntur, vel ab eodem, sensuum occasione excitantur, neque semper in animo hærent, sed postquam ad tempus menti fuerunt repræsentata, paulo post ex eadem delabuntur.* Jam ad DEUM hæc aequè applicantur, ac si

B

Serpen-

Serpentes avibus gementur Tigribus agni. DEUS omnia quæ novit, videt intuitive, non per Ideas novit. Ea autem intuitiva cognitio, quæ Objectum cognoscendum uno actu funditus exhaurit, & infinito DEI intellectu nititur. Equidem mortales Objecta successive per Ideas norunt, tantæ sapius confutioni obnoxias, ut nosmet ipsos non intelligamus. Nostras Ideas vel levis aura ex animo pellit; in DEO quicquid est æternum judica.

§. XI. Sed audimus, ni fallimur, affectas Wolffianos dentes acuere, quos tamen ut periculum faciamus admittere fertanimus. Hæc identidem clamitant: non esse Wolffium pinguis adeo ingenii, ut qua nostras qua DEI Ideas seu representationes eadem æstimatione metiatur, ut potius DEO attributas ab omni imperfectione liberet, sicque nos Viro injuriam facere. Bona verba, quæso! funem ex arena quis facile non solverit. Wolffius quod una manu ædificat, altera destruit. Quid juvat Ideas Divinas ab imperfectionibus vindicare velle, & nihilominus eas ad mundos tantum adstringere, imo essentiam Divinam ab illis constitui adserere. Ita verba: Das Wesen Gottes bestehet in der Krafft, alles was möglich ist, das ist, alle Welten deutlich und auf einmahl vorzustellen. Miser ille DEUS, cujus essentia unice terminatur in virtute representandi mundos. Objecta cognitionis Divinæ innumerabilia sunt. Imo, ipse, sui ipsius, ratione nempe intellectus reflexi, Objectum est, longe nobilius mille mundis.

§. XII. Iste nodus sine acinace solutus est feliciter! Verum enim vero hic ultima agmen Wolffianum tentat, & eo, quem nobis objiciunt clypeo muniti occurrentium tela se jugiter excipere posse adeo sunt persuasi quam qui persuasissimi. Metuo tamen, ne pro Junone nubem amplectantur. Certe, silentio potius quam hoc Argumento Autorem excusant. Id ipsum enim est, quod fenestram nobis aperuit demonstrandi, Wolffium cum mendose philosophari, tum per justam consequentiam Deum negare penitus. Adrem.

§. XIII.

§. XIII. Hæc est illa Objectio, in qua se, non quod pueri in faba invenisse autumant, quam ego ne cassa nuce quidem emerim. Ad ravim usque clamitant, nos in Definitione reali recensenda à via aberrasse, dum autor non illam, sed hanc realem judicet, quæ legitur Metaph. §. 945. Es ist demnach Gott ein selbständiges Wesen, darinnen der Grund von der Wirklichkeit der Welt und der Seelen zu finden. Excussa hac Definitione mellitis verborum globulis, papavere & sesamo sparsa quisque calculum adjiciet verbis nostris in §. I. datis: *non ex una alterave materia Autor, sed toto systemate & rerum connexione judicandus est.* Quod ad errorem in enarranda Definitione Autoris reali attinet, ad memoriam sibi L. B. revocet, quæ supra §. 3. à nobis scripta sunt. Et quid? Sit ita, erraverimus, (sed concedemus ad calendas græcas) nullum inde lucrum Dissidentes reportant. Præsens Definitio ne titivillitio digna priori fere pejor est, & confusos nostri Philosophi Conceptus in aprico ponit.

§. XIV. Ne tamen aliis Poetarum tuba uti videamur quod propositum est perspicue probabimus. Sedulis Systematis Wolffiani scrutatoribus procul dubio absurdissima toto orbe doctrina de Monadibus (Einheiten) innotuit. Pythagoras primus hujus vocis autor dicitur. Quod dogma ad rhombum excogitatum Veteres Philosophi assumpserunt, assumptum Nostris tradidere, quibus veteres avias a pulmone non facile revellimus. Falsa hæc dogmata Autorem nostrum magis magisque erratis irretiunt. Ut vero Lector eo clarius refutationem Definitionis percipiat, aliqua fas sis hac de materia excerpere.

§. XV. Omnis substantia est vel simplex vel composita. Simples sunt quadruplicis generis, nempe elementa, animæ brutorum, animæ hominum, ipse denique Deus, gradu representationis unice differentia. Conf. Metaph. §. 900, 901, 902, 904. In his §§ rem ita se habere à nemine non statim cognoscitur. Ulterioremonadum doctrinam, ridiculam potius, quam Philosopho dignam, levi brachio transilimus, rimantes tantum, qua Definitione substantia ab autore nostro

fit induta. Ein vor sich bestehendes Ding ist dasjenige, welches die Quelle seiner Veränderungen in sich hat. Per se ein vor sich bestehendes Ding intelligit substantiam, velut ipse exponit in Indice Imo sub lit. B. Deinde §. 945. de Deo fatur: GOTT ist ein selbständiges Wesen, darin der Grund von der Wirklichkeit der Welt und der Seelen zu finden. Nunc eamus ad rem propius. Dicit Wolffius:

Deum esse Monadem seu ein einfaches Ding. Omnes Monades juxta ipsum sunt Substantia; largiatur ergo & Deum esse Substantiam. Substantia vero est. ein vor sich bestehendes Ding, welches die Quelle seiner Veränderung in sich hat. Nunc concessio, Deum esse substantiam, concedat quoque Deum esse mutabilem, quod absurdum; aut neget, Deum esse Substantiam. Argumentor ex utroque:

Quicumque Deum Substantiam mutabilem nominat, crasse de Deo philosophatur.

Wolffius hoc facit. E.

Minor probatione propter antecedentia non indiget. Porro: Nullum ens à se subsistens (quod solus est Deus) est mutabile.

Deus (juxta Autorem nempe) est mutabilis.

R. Deus non est ens à se subsistens i. e. kein selbständiges Wesen.

Quid hoc aliud est quam Deum negare per bonam consequentiam?

§. XVI. Removeamus quoque Objectiones. Objicient forte: Autorem distinguere inter ens per se subsistens ein vor sich bestehendes Ding, & inter ens à se subsistens ein selbständiges Ding: Monades ab ipso vocari entia per se subsistentia vor sich bestehende Dinge, Deum vero dici ens à se subsistens ein selbständiges Ding, & sic solum Deum esse immutabilem, quia solus est ens à se subsistens. Sed quicquid hujus sit Definitionis omne in os contradicentis retorquemus. Ratio: quia Deus ab Autore vocatur Monas §. 904, monades vero semper mutant

tant statum suum juxta §. 726. ein jedes einfaches Ding ist in
 steter Bemühung seine Einschränkung zu ändern, auch wirklich
 ändert, wenn ihm nichts widerstehet, selbst aber kan es sich nicht
 widerstehen, und solcher Gestalt wird sein Zustand beständig ver-
 ändert. Per 1^o Einschränkung gradus intelligit, ut edocet nos
 §. 106, sequitur E. quod ipse Deus sit mutabilis. Imo juxta
 Wolffium Deus est mutabilis prout monas est ein einfaches und
 vor sich bestehendes Ding, immutabilis, prout est ein selbstständig-
 ges Ding. O monstra! Quis est, qui non videat autorem
 nobis & Lectoribus glaucomata objicere locutione hac: Gott
 ist ein selbstständiges Ding, quæ nullum profecto locum stanti-
 bus coeteris Wolffii sententiis invenit? Plura errata, quid
 errata? impias, consequentias ex Doctrina monadum philo-
 sophico portento emanantes præterimus. Et quid hæc sibi
 phrasis vult: Darinnen der Grund von der Wirklichkeit der
 Welt und der Seelen zu finden? Clarum enim est, DEUM
 juxta Autorem animam & mundum non potuisse creare.
 Probamus: DEUS est monas, anima etiam, jam monas
 monadem non potuit creare, ein einfaches Ding kan aus dem
 andern einfachen Dinge nicht entspringen. §. 88., quomodo ergo
 DEUS potuit creare animam monadem ipse monas? Nec
 mundus potuit à DEO creari. Probamus: monades enim
 nihil possunt movere juxta §. 73., DEUS monas sine motu
 quomodo potuit producere universum? Sed quid diu cum
 Non-entibus decertamus, quorum nullæ sunt affectiones.

§. XVII. Quam pulchre itaque Definitio Wolffiana
 Atheo inservit, & æternitatem mundi salvis coeteris Autoris
 sententiis adstruit? DEUM quendam, sive tale ens specula-
 tivum Atheus facile admiserit, modo prædicata creationem
 hujus Universi insinuantia de eo non prædices. Certum,
 proh dolor! est, autorem nostrum eadem de æternitate
 mundi cum aliis dogmata fovere, sed tectiora, quando per-
 sonato vultu iis contradicit. Probamus, sic enim fatur:
 wenn gleich GOTT die Welt von Ewigkeit hervor gebracht hat


te, wie vor diesem Aristoteles behauptet, so wäre sie doch deswegen nicht auf solche Art ewig wie GOTT. Denn sie wäre in einer unendlichen Zeit, hingegen GOTT ist ausser der Zeit. Und deswegen wäre sie doch auch ihrer daure nach von GOTT unterschieden. §. 1075. Conf. Comment. Luculenta p. 56., ubi eadem sentit Wolffius. Nihil putat æternitatem mundi absurdum inferre, utpote ab æternitate DEI distinctam, quia tempus infinitum in quo mundus est, & æternitas proprie sic dicta DEO competens, toto coelo differunt. Equidem h. I. Wolffius lupum teneat auribus. Duo adsunt absurda, alterutri affinis sit necesse est. Aut concedat explicite mundum esse ab æterno, eique competere æternitatem proprie dictam; aut confiteatur tandem, tempus & simul infinitum esse, omni jure vocari contradictionem in adjecto. Nullum tempus proprie dictam infinitum est. Sed transeant hæc & ulterius probamus, Wolffium statuere mundum æternum. In ratione Praelectionum sic habet: publice hæctenus demonstratum non est, genus humanum, aut mundum coepisse, ex principiis scilicet rationis. Argumentamur:

Quicumque Philosophus, utut extantibus solidissimis demonstrationibus, mundo æternitatem attribuit partim, partim dicit, quod ex Principiis rationis hæctenus demonstratum non sit, mundum coepisse, ille statuit æternitatem mundi. Autor noster &c. E.

Utraque Præmissarum ex antecedentibus Marpesia caute firmior est.

§. XVIII. Bone DEUS! In quam pessima tantus Philosophus Dogmata consentit. Sunt quidem inter Veteres, qui mundi æternitatem affirmarunt, sed sunt quoque, qui simpliciter negarunt. Bene hac de re Eugubinus L. 7. de Perenni Philosophia Cap. 4., quem citat. Schvarez Disp. Metaph. XX. Sect. I. n. 6. Si placet, inquit, aliquo in loco Majorum autoritatem esse, clarum est, Majores nemine discrepante,

screpante, præcipue, si vetustissimas Gentes animo adieris, mirabili consensu tempus & coelum creatum tradidisse. Ebræi, Ægyptii, à quibus didicere omnia Græci, Phœnices Chaldæi, Poetæ, Theologi & superioris Græciæ Sapientes omnes unanimiter mundum condiderunt. Sed Aristoteles, Plinius, Simplicius, Averrões & Alii aternitatem mundi propugnarunt. Equidem cane pejus & angue sententia de aternitate mundi à Philosopho Christiano fugienda est. Mundus enim quia materia est, non est à se ipso, hinc ab alio & vel à corpore vel spiritu. A corpore non est, hinc erit à Spiritu, sed non a Spiritu finito, Ergo infinito, qui DEUS est. Conf. hac de materia Philosophi passim. Ex his omnibus sat abunde patet, quid Definitio Wolffiana boni vel mali includat. Satius Autor egisset, si totum opus latinitate donasset, ne simpliciores inde seducerentur. Nos pedem figimus, & deletiles censoris spongas parum aut nihili curantes pro præstito auxilio DEO debitas persolvimus gratias.



COROLLARIA.


1. DEUS etiam extra mundum actu realiter existit.
2. Prædicationes Personales inusitatis recte accensentur.
3. Prædicationes Personales ex Communicatione Idiomatum fluentes, recte dicuntur Paronymicæ.
4. Natura abhorret ab infinito.
5. Tria Genera communicationis Idiomatum rectius dicuntur: Tria Genere Propositionum Idiomatarum.

6. Sicut

6. Relatio est ens minima entitatis.
7. Habitus non cadit in angelos.
8. Qui diaboli existentiam negat, non vacat Atheismi sus-
pitione.
9. DEUS in ludis, speciatim in lotariis (rectius latine
ludicra sortitione schedularum) agit.
10. Ens non habet Principia productiva.



COROLLARIA



te, wie
wegen m
einer une
deswegen
scheiden. S
dem senfit
furdi inferre
pus infinitum
eta DEO com
Wolffius lupun
rutri affinis fit n
esse ab aeterno, e
aut confiteatur ta
mni jure vocari co
pus proprie dictam
terius probamus, W
ratione Praelectionum
stratum non est, gen
ex principiis scilicet ra

Quicumque Philo
demonstrationibus, mund
tim dicit, quod ex Princi
tum non fit, mundum
mundi. Autor noster &c.

Utraque Pramissarum ex
firmior est,

S. XVIII. Bone DEUS ! In
sophus Dogmata consentit. Sum
mundi aeternitatem affirmarunt,
pliciter negarunt. Bene hac de re
renni Philosophia Cap. 4., quem c
taph. XX. Sect. I. n. 6. Si placet,
Majorum autoritatem esse, clarum est

ristoteles behauptet, so wäre sie doch des
Art ewig wie GOTT. Denn sie wäre in
hingegen GOTT ist auffer der Zeit. Und
auch ihrer daure nach von GOTT unter
Comment. Luculenta p. 56., ubi ea
Nihil putat aeternitatem mundi ab
aeternitate DEI distinctam, quia tem
pus est, & aeternitas proprie sic di
coelo differunt. Equidem h. l.
us. Duo adsunt absurda, alte
ut concedat explicite mundum
re aeternitatem proprie dictam;
s & simul infinitum esse, o
in adjecto. Nullum tem
Sed transeant haec & ul
re mundum aeternum. In
publice hactenus demon
aut mundum coepisse,
mentamur:

extantibus solidissimis
attribuit partim, par
hactenus demonstra
statuit aeternitatem

us Marpesia caute

a tantus Philo
r Veteres, qui
ne, qui sim
L. 7. de Pe
Disp. Me
o in loco
mine di
strepante,

